

2

# CONCLUSIONES THEOLOGICÆ

I N A V L A

COLLEGII CLEMENTINI

PP. CONGREGATIONIS SOMASCHÆ

Publicè sustinendæ

A D. HIERONYMO  
RAVASCHERIO FLISCO

EX COMITIBVS LAVANIÆ PATRITIO HISP.

Eiusdem Collegij Conuictore.




R O M Æ,

Ex Typographiâ Ioannis Iacobi Komarek Boëmi apud Angelum  
Custodem. M.DC.LXXXVIII.

---

S V P E R I O R V M P E R M I S S V .

# CONCLUSIONES THEOLOGICÆ.



## DE ENTE SUPERNATVRALI

I.



ENS supernaturale generalitèr, & latè sumptum est id; ad quod aliqua natura non habet neque virtutem, neque exigentiam. Diuidi posset trifariàm; scilicet in ens extrà naturam, ens suprâ naturam, & ens contrâ naturam. Supernaturalitas entis fundamentalitèr loquendo aliquandò prouenit ab extrinseco, & aliquandò ab intrinseco.

### DE ENTE EXTRA NATVRAM

I I.

ENS extrâ naturam, scù repugnans alicui naturæ ~~entis~~, quod neque per specialem Dei voluntatem fieri, vel haberi potest ab aliquâ naturâ. Impossibilitas formalitèr loquendo nihil aliud importat nisi negationem virtutis chymicæ in causâ: Fundamentalitèr autem loquendo prouenit ab intrinsecâ, & immediatâ repugantiâ eiusdem impossibilis; Excepto tamen illo impossibili, quod repugnat tantùm fieri à creaturâ, cuius impossibilitas dici potest oriri ab extrinseco. Ens repugnans aliud est repugnans ex aliquâ suppositione vel antecedenti, vel consequenti, vel concomitanti: Aliud verò est repugnans absolutè. Aliquod ens est repugnans absolutè fieri, quod scilicèt fundatur in defectu virtutis, vel conditionis indispensabilis: Aliud verò est, quod repugnat recipi, quod scilicèt fundatur in defectu capacitatis, vel terminabilitatis.

I I I.

ENS, quod repugnat fieri aliud repugnat etiam ipsi Deo, aliud tantùm creaturæ. Ens repugnans fieri à Deo aliud est quoad modum, aliud quoad substantiam: quoad modum, vt amare sinè cognitione, agere sinè præsentia; cum hoc tamen discrimine, quòd Deus non potest amare sinè cognitione eò quia non potest non cognoscere, & quia non potest non cognoscendo amare: At verò Deus non potest agere sinè præsentia tantummodò quia non potest non esse præsens; Quocirca si posset Deus non esse præsens posset quoque agere in distans,

A

ad

2  
 ad differentiam creaturæ, quæ non potest agere sinè sui præsentia tanquam sinè aliquâ conditione indispensabiliter ad agendum requisita. Ens verò repugnans fieri à Deo quoad substantiam aliud est absolutum, aliud modale. Absolutum fundatur in oppositione metaphysicâ prædicatorum, quæ oppositio metaphysica, si non sit oppositio incapacitatis, vel affixionis, sed sit oppositio virtutis, vel exigentiæ, fundatur tandem in oppositione physicâ formarum vel mediatâ, vt formarum substantialium, vel immediatâ, vt formarum, vel figurarum accidentalium; Falsum enim putamus omne prædicatum negatiuum alicuius essentiæ promanare ab alio prædicato positiuo eiusdem essentiæ, scû omnem differentiam vnus essentiæ ab aliâ consistere in aliquo prædicato positiuo, quasi non possint omnia prædicata specifica positiua vnus essentiæ identificari cum omnibus alijs positiuis alterius essentiæ in aliquâ tertiâ essentiâ. Ens denique repugnans Deo modale fundatur in essentiali affixione talis rei cum tali causâ, cuiusmodi sunt actus vitales, & omnes actiones causarum.

### I V.

**E**ns verò repugnans fieri à creaturâ aliud similiter est quoad modum, quod fundatur in defectu dominij physici, & repugnat omni creaturæ: Aliud est quoad substantiam, quod fundatur in defectu virtutis physicæ, & aliquandò repugnat omni creaturæ, aliquandò tantum alicui: Effectus, qui repugnat omni creaturæ ex defectu dominij physici est ille, qui sequitur contrà exigentiam creaturæ, & duplex est: Alius, qui producitur, vel conseruatur cum aliquâ conditione, cum qua talis effectus stare naturaliter non potest, cuiusmodi est penetratio, & replicatio corporis: Alius verò qui producitur, vel conseruatur sinè aliquâ conditione, sinè qua talis effectus stare naturaliter non potest, vt conseruatio formæ materialis, vel accidentalis sinè subiecto, vel sinè suis dispositionibus principalibus. Item alius est positiuus, vt enumerati effectus: Alius est negatiuus, vt impeditio ignis ne urat, destructio Angeli, destructio formæ materialis quandò habet omnes dispositiones &c. Ad huiusmodi effectus non datur propriè eleuatio; licet enim ad illos non requiratur maior virtus, requiritur tamen virtus diuina quâ diuina est.

### V.

**E**ffectus autem repugnans creaturæ, qui fundatur in defectu virtutis, scû in improportione actiuâ est quandò creatura nec habet à se ipsâ, nec recipere potest à Deo virtutem prò tali effectu sufficientem; vndè neq; in genere causæ principalis, neq; in genere causæ instrumentalis eleuari potest à Deo ad talem effectum; Et hic pariter duplex est: Alius, qui repugnat omni creaturæ, cuiusmodi est vnio hypostatica, Vnio Eucharistica, Species impressa Dei, & omnes habitus infusi supernaturales quoad substantiam: Alius verò est, qui repugnat alicui tantum creaturæ: Sic nulla potentia vitalis potest elicere actum alterius potentiæ diuersæ, exempli gratiâ oculus audire sonum. Sic nulla potentia vitalis potest attingere

gere obiectum alterius potentia diuersa, exempli gratia oculus videre sonum. Sic nulla potentia vitalis materialis potest attingere obiectum spirituale, exempli gratia oculus videre Angelum. Sic eadem de causa nulla causa materialis potest attingere effectum spirituale, exempli gratia Sacramenta causare physicè gratiam, ignis torquere physicè Dæmonem. Sic denique nulla causa potest eleuari à Deo ad producendam aliquam substantiam, exempli gratia, ignis ad producendam aquam &c.

### V I.

**E**NS, quod repugnat recipi, quodque fundatur in improportione passiuâ aliud est absolutum, aliud modale. Absolutum fundatur in incapacitate, quam habent duæ res terminandi vnionem inter se. Sic nulla materia potest recipere aliam materiam: Nulla forma potest recipere aliam formam substantialem: Nullum subiectum materiale potest recipere accidens spirituale: Nullum subiectum omninò spirituale potest recipere accidens materiale. In ordine ad actum vitalem vbi datur improportio actiua datur etiam passiuâ, & vice versâ; Vndè implicat potentiam vitalem eleuari in genere causæ instrumentalis. Ens verò, quod repugnat recipi modale fundatur in incapacitate, quam habent duæ res terminandi talem numero modum, seu in incapacitate, quam habet talis numero modus nè terminetur nisi inter talia numero extrema. Sic vna materia non potest terminare vnionem, quam terminat alia materia, vnum corpus vbi locationem alterius corporis &c. Negatâ causâ materiali extrinsecâ, tenet materia in formam, negari etiam debet potentia obedientialis passiuâ, seu quælibet eleuatio in genere causæ passiuæ; Admissâ verò causâ materiali extrinsecâ, admitti etiam debet quælibet eleuatio in genere causæ passiuæ.

### V I I.

**I**N genere causæ principalis actiuæ dupliciter eleuari potest aliqua creatura ad aliquem effectum. Primò per auxilium Dei siue intrinsicum, siue extrinsecum homogeneum, quod veluti augeat siue formaliter, siue virtualiter virtutem naturalem ipsius causæ, quæ eleuatur; & hoc modo non datur potentia obedientialis nisi ad illos effectus, qui non differunt ab effectibus naturalibus eiusdem causæ, quæ eleuatur, nisi secundum magis, & minus. Secundò potest eleuari aliqua causa per positionem indebitam alterius concausæ diuersæ, siue per auxilium etherogeneam, vt quando eleuatur intellectus creatus ad Visionem Beatificam; Et hoc modo vel illa concausa, quæ supernaturaliter à Deo ponitur, est per se supernaturalis, ita vt nunquam alicui creaturæ possit esse naturaliter debita, vel supernaturalis tantum per accidens, ita vt aliquando possit esse alicui creaturæ naturaliter debita. Si primum, effectus ille supernaturalis est supernaturalis quoad substantiam, & differt essentialiter ab omnibus actibus naturalibus eiusdem causæ, quæ eleuatur, vt exempli gratia Visio Beatifica: Si secundum, effectus ille supernaturalis

4  
 ralis est supernaturalis tantum quoad modum, & differt solum per accidens ab effectibus naturalibus eiusdem causæ, quæ eleuatur, vt exempli gratiâ visio ocularis habita per speciem impressam obiecti absentis, vel per concursum Dei specialem talis speciei vices gerentem. Hinc nulla causa eleuari potest in genere causæ principalis ad aliquem effectum, quæ non habeat aliquam virtutem propriam, ac naturalem, quæ vocatur virtus inchoata, in ordine ad talem effectum. Ad hoc autem vt aliqua causa habeat hanc virtutem inchoatam non sufficit quod talis causa conueniat cum tali effectu in aliquo, vel in pluribus prædicatis; vnde non quodlibet potest eleuari ad quodlibet.

#### V I I I.

**L**oquendo de possibili magis repugnat aliquam creaturam creare Angelum supernaturalitèr, quàm repugnet creare illum naturalitèr. Imò difficile admodum est assignare aliquam rationem, quæ conuincat virtutem creandi repugnare creaturæ quæ creatura est, ita vt dari non possit aliqua creatura ita perfecta, quæ sinè vlla Dei eleuatione creare possit. Posito tamen quod posset aliqua creatura creare Angelum, corpus simplex, formam spiritualement, & materiam primam; nulla tamen creatura posset vnquam creare, seù producere extrâ subiectum formam materialem, vel formam accidentalem.

### DE ENTE SUPERNATURALI QUOAD MODVM

#### I X.

**E**ns supernaturale quoad modum est illud, quod in aliquâ circumstantiâ excedit virtutem, & exigentiam naturæ creatæ. Supernaturalitas quoad modum fundamentalitèr loquendo prouenit à limitatione modò positiuâ, modò negatiuâ causæ, vel subiecti; Excepto tamen illo effectû supernaturali, qui producitur, vel conseruatur à Deo contrâ exigentiam particularem ipsius. Ens supernaturale quoad modum aliud est effectus, qui excedit virtutem, vel conditionem alicuius causæ: Aliud est forma, quæ excedit exigentiam, vel conditionem alicuius subiecti.

#### X.

**F**orma supernaturalis quoad modum est illa, quæ à solo Deo produci potest, & ad exigentiam alicuius subiecti produci solet, sed hîc, & nunc non producitur ad exigentiam alicuius subiecti. Huiusmodi est reunio animæ rationalis cum suo, vel alieno corpore, infusio alterius animæ in homine viuente, collatio specierum obiecti spiritualis animæ nostræ adhuc sensibus alligatæ &c. Porrò huiusmodi forma supernaturalis duplex est: Alia excedit exigentiam subiecti prò semper, cuius supernaturalitas fundatur in circumstantiâ præteritâ, vt restitutio vitæ: Alia verò excedit exigentiam subiecti tantum prò aliquando, vt visio obiecti spiritualis in animâ nostrâ.

Effe-

## X I.

**E**ffectus supernaturalis quoad modum alius est effectus Dei supernaturalitèr agentis, & alius est effectus creaturæ supernaturalitèr eleuatæ. Effectus Dei supernaturalis quoad modum duplex est: Alius, qui superat conditionem causæ secundæ prò semper, quandò scilicèt conditio, quæ deficit causæ secundæ non potest amplius naturalitèr poni, vt est exempli gratiâ restitutio visus amissi, vel restitutio pueritiæ transactæ; Nam illæ conditiones corporis, quæ requiruntur ad hoc, vt semen producat, vel restauret organizationem, vel calidum, & humidum radicale, semel deperditæ non possunt amplius naturalitèr recuperari: Alius verò est, qui superat conditionem causæ secundæ tantummodò in aliquâ circumstantiâ, quando scilicèt conditio, quæ deficit causæ secundæ potest iterùm naturaliter poni, vt est exempli gratiâ restitutio miraculosa sanitatis; Nam illæ conditiones, quæ requiruntur in corpore ægri ad hoc vt producat, vel restitua- tur sanitas, licèt non possint naturalitèr hìc, & nunc haberi; Absolutè tamen lo- quendo possunt semel deperditæ iterùm naturaliter recuperari.

## X I I.

**E**ffectus creaturæ supernaturalis quoad modum & ipse duplex est: Alius est, qui superat propriè virtutem causæ ~~secundæ vel totalitèr, vel partialitèr;~~ Vnde potest causa secunda per virtutem à Deo receptam eleuari propriè ad illum vel in genere causæ principalis, vel in genere causæ instrumentalis: Alius est, qui superat tantùm conditionem causæ secundæ: Vnde potest causa secunda recipien- do à Deo illam conditionem requisitam, qua caret, eleuari quodammodò im- propriè ad illum. Loquendo de effectibus creaturæ supernaturalibus quoad mo- dum, qui propriè excedunt virtutem naturalem ipsius creaturæ dicimus omnem effectum, ad quem eleuatur creatura primo modo suprâ explicato, videlicèt per auxilium homogeneum, quatenùs procedit à creaturâ talitèr eleuatâ non esse su- pernaturalem nisi quoad modum, quamuis per accidens possit etiam esse super- naturalis quoad substantiam, quatenùs procedere potest à potentiâ etiam secun- do modo suprâ explicato eleuatâ, videlicèt eleuatâ per aliud auxilium etheroge- neum nulli creaturæ vllò modo debitum. Item omnis effectus supernaturalis quoad modum productus à creaturâ primo modo eleuatâ, quatenùs à tali poten- tiâ talitèr eleuatâ procedit est perfectior effectus naturali eiusdem creaturæ, quæ eleuatur; non est tamen perfectior nisi secundùm magis, & minùs. Quamuis enim virtus supernaturalis virtualiter tantùm homogenea sit diuersa in ratione, entis à virtute naturali eiusdem creaturæ quæ eleuatur; in ratione tamen agentis est eiusdem omninò rationis cum illâ; Quamobrem sicuti supplet defectum illius, ità etiam suppleri potest ab illius excessu.

B

Loquen-

## X I I I.

**L**oquendo autem de effectibus creaturæ supernaturalibus quoad modum, qui propriè non excedunt virtutem, sed solùm excedunt aliquam conditionem requisitam à causâ secundâ ad agendum dicimus hos effectus esse plures, & diuersos pro pluralitate, & diuersitate conditionum, quas Deus supernaturalitèr ponere, vel dispensare potest; Sunt enim aliquæ conditiones, quæ se tenent omninò ex parte agentis, quæque non sunt plures, quàm duæ, & sunt etiam per Dei potentiam indispensabiles. Prima conditio vniuersalis ab omni agente creato indispensabiliter requisita est simultas, vel contiguitas immediata agentis cum suo effectû, quæ conditio requiritur ab agente ratione actionis, quæ tam agenti, quàm effectui est essentialitèr affixa. Ratione huius conditionis pro illis effectibus, qui dependent à subiecto requiritur simultas, vel contiguitas immediata agentis cum subiecto; Vndè non potest mouens neque mouere aliud subiectum distans, neque mouere se ipsum in locum distantem. Loco contiguitatis addit aliqua opinio approximationem, exempli gratiâ calefacientis, & calefacti, quam nos in philosophiâ nostrâ non approbamus. Altera conditio particularis solùm ab agentibus indifferentibus requisita est determinatio intrinseca, exempli gratiâ qualitas centrica, quæ determinat grauitatem lapidis de se ad plures partes indifferentem. Addit aliqua opinio determinationem extrinsecam, vt est exempli gratiâ *dissimilitudo subiecti ad hoc vt agens agat in illud*, quam similiter nos à philosophiâ nostrâ reiecimus. Has duas conditiones ex parte agentis requisitas potest quidem Deus illas dare supernaturalitèr causis secundis, sed non potest Deus ab illis dispensare simpliciter causas secundas.

## X I V.

**A**liæ verò sunt conditiones, quæ se tenent ex parte subiecti, suntque negatiuæ, scilicèt ablatio impedimentorum, à quibus vult aliqua opinio impediri simpliciter actionem agentis, nos autem volumus impediri tantùm secundum quid, quàm scilicèt agat quantum potest. Item has conditiones negatiuas vult aliqua opinio requiri per se ab agente, nos autem volumus requiri ab illo tantùm per accidens, quatenùs Deus stante maiori oppositione, seù maiori resistentiâ contrarij denegat agenti suum concursum generalem ad totum illum effectum, quem sinè tantâ resistentiâ contrarij posset agens producere. Huiusmodi autem impedimenta in nostrâ sententiâ dantur solùm in ordine ad illos effectus, qui suscipiunt magis, & minùs, vt sunt exempli gratiâ nimia grauitas lapidis, quæ resistit ne moueatur magis à paruo impulsu, vel nimia durities pariter lapidis, quæ resistit ne magis scindantur, & amoueantur partes à paruo similiter impulsu. Porrò has conditiones negatiuas non solùm potest Deus illas dare supernaturalitèr causis secundis, sed etiam potest Deus dispensare ab illis simpliciter causas

causas secundas . Licet enim non possit Deus facere quod aliquod agens magis agat quando agit sine vlla resistantia contrarij ; quia omne agens creatum cum habeat limitatam virtutem habet etiam limitatum effectum , cumque habeat producere effectum semper se ipso imperfectiorem , loquendo de effectibus diuisibilibus , habet quoque limitatam spheram ; Potest tamen Deus facere quod agens magis agat quando agit cum aliquâ resistantiâ contrarij , scilicet non annuendo exigentiæ contrarij , & præbendo totum suum concursum generalem agenti .

## X V.

**H**inc patet in ordine ad effectus successiuos quomodo eleuari possit creatura ad citius , & ad instantaneè . Ad citius , quando tarditas prouenit à resistantiâ contrarij tunc potest agens eleuari ad citius tum intrinsecè recipiendo maiorem virtutem , tum extrinsecè si Deus tollat contrarium , vel non annuat exigentiæ contrarij . Quando verò tarditas non prouenit à resistantiâ contrarij , sed solum prouenit à limitatione virtutis agentis tunc non potest agens eleuari ad citius , nisi intrinsecè recipiendo maiorem virtutem . Similiter ad instantaneè , si successio prouenit à resistantiâ contrarij , vt in calefactione subiecti frigidi , potest agens eleuari ad instantaneè tum intrinsecè , tum extrinsecè eo modo , quo ad citius . Si autem successio prouenit à conditione virtutis agentis , vt in motu locali , nullo modo potest agens eleuari ad instantaneè .

## X V I.

**A**liæ denique sunt conditiones , quæ se tenent ex parte ipsius effectus , vt est exempli gratiâ subiectum ipsum cum talibus , vel talibus dispositionibus tum posituius , tum negatiuis . Has similiter conditiones ex parte effectus requisitas potest Deus & supernaturaliter ponere , & supernaturaliter dispensare . Quando autem Deus dispensat conditiones , quæ se tenent vel ex parte effectus , vel ex parte subiecti , tunc dici potest creatura eleuari improprie ad tales effectus supernaturales , eleuari , inquam , per actum diuinæ voluntatis , quo Deus non obstante exigentiâ rerum vult præbere suum concursum generalem alioquin indebitum .

## X V I I.

**E**X dictis patet quadrupliciter eleuari posse aliquod agens creatum . Primò per auxilium formaliter , vel virtualiter homogeneum intrinsecum , vel extrinsecum , quod veluti augeat virtutem illius naturalem . Secundò per auxilium etherogeneum , quod tribuat effectui prædicata omninò diuersa ab illis , quæ tribuit eidem effectui virtus naturalis eiusdem potentie . Tertio per positionem indebitam alicuius conditionis , quam requirit , & qua caret agens . Quarto denique per dispensationem indebitam alicuius conditionis requisitæ ad agendum . Effectus supernaturalis creaturæ primo modo eleuatæ dici potest supernaturalis quoad



quoad modum ex parte agentis, & est perfectior alio effectu simili naturali eiusdem causæ secundum magis, & minus. Effectus supernaturalis creaturæ secundo modo eleuatæ potest esse supernaturalis vel quoad modum, vel quoad substantiam, vt explicauimus. Effectus supernaturalis creaturæ tertio modo eleuatæ dici potest supernaturalis quoad circumstantiam, & nullo modo est perfectior eodem effectu naturalitèr producto. Effectus denique supernaturalis creaturæ quarto modo eleuatæ dici potest supernaturalis quoad modum ex parte effectus, & licet non sit perfectior se ipso naturalitèr producto; ad hoc tamen vt tali modo producatur requirit virtutem diuinam quæ diuina est.

## X V I I I.

**H**VC spectant effectus moralitèr impossibiles, de quibus nos ita philosophamur. Impossibile morale non coalescit ex pluribus difficultatibus, quarum quælibet seorsim sumpta superari possit, omnes autem collectiuè sumptæ superari non possint: sed consistit in quadam impotentiâ eodem semper modo se habendi in infinitis casibus diuersis.

## X I X.

**N**VLLAM aliam agnoscimus impossibilitatem moralem præter impossibilitatem vitandi plura peccata, vel faciendi plures actus bonos sine speciali gratiâ Dei, quam impossibilitatem moralem non alio modo tollit Deus, nisi dando semper auxilia efficacia. Illa enim impossibilitas, quæ reperitur in eo, quòd omnes homines exempli gratiâ hic, & nunc idem cogitent, vel idem velint, vel idem faciant non est impossibilitas moralis, sed phisica, quam tollere non potest nisi ille, qui sicuti solus talem rerum seriem ordinauit, ita & solus illam variare potest. Item impossibilitas illa, quæ reperitur in eo, quòd aliquis, exempli gratiâ proiciat vnum talum lusorium milliès sub eodem signo, vel quòd proiciat mille talos semel, & simul sub eodem signo, non est impossibilitas moralis, sed phisica, quæ prouenit vel ex defectu virtutis dirigendi debito modo talos, vel ex defectu virtutis sistendi talos indebito modo directos.

## DE ENTE SUPERNATURALI QUOAD SUBSTANTIAM

## X X.

**E**NS supernaturale quoad substantiam est illud, quod continet in se aliquod prædicatum essentiale, ratione cuius fieri non potest nisi à Deo specialitèr, & non ex debito agente, vel non nisi cum auxilio Dei spiritualitèr, & non ex debito concurrentis. Supernaturalitas entis quoad substantiam fundamentalitèr, & vltimatè loquendo prouenit ex quodam speciali Dei dominio, quod habet Deus de se ipso, & de ijs, quæ spectant immediatè ad se ipsum, exempli gratiâ dandi, vel manifestandi se ipsum creaturæ.

Ens

## X X I.

**E**ns supernaturale quoad substantiam non ideò est tale, quia habeat in se ipso tantam perfectionem physicam, vt semper excedat excessu perfectionis omnem virtutem omnis naturæ creatæ, & creabilis: Neque per hoc quòd sit specialis possessio Dei, vel ordinetur ad illam, vel consequatur ad illam: Neque per hoc quòd sit specialis participatio naturæ diuinæ, scilicèt diuinæ intellectionis prout est vltimum prædicatum naturæ diuinæ constitutum: Neque per hoc quòd sit specialis participatio supernaturalitatis diuinæ, scilicèt diuinæ intellectionis, & diuinæ volitionis prout sunt prima entia supernaturalia: Sed solùm per hoc, quòd contineatur sub speciali Dei dominio, adeò vt hæc sit vltima ratio cur aliquod Ens sit supernaturale quoad substantiam.

## X X I I.

**E**ns supernaturale quoad substantiam diuiditur à nobis in quatuor gradus iuxta maius vel minus Dominum Dei speciale. In primo gradu ponitur vnio hypostatica: In secundo gradu ponitur visio, & Amor Beati: In tertio ponuntur actus supernaturales Viatoris: In quarto deuiquè ponuntur habitus infusi perfe supernaturales. Ordo rerum supernaturalium quoad substantiam, non consistit in connexione omninò physica, neque in connexione omninò morali, sed consistit in quadam alià connexione medià condignitatis, vel congruitatis.

## X X I I I.

**E**ns supernaturale quoad substantiam non est cognoscibile cognitione intuitiua nisi supernaturalitèr: Cognitione autem abstractiua, vel discursiua est cognoscibile naturalitèr non solùm quoad possibilitatem, verùm etiam quoad existentiam actualem.

*DE ACTIBVS SUPERNATVRALIBVS QVOAD SVBSTANTIAM*

## X X I V.

**A**ctus supernaturalis quoad substantiam quæ talis non requirit potentiam primo modo eleuatam, scilicèt per auxilium formaliter, vel virtualiter homogeneum, sed solùm requirit potentiam secundo modo eleuatam, scilicèt per auxilium Dei etherogeneum nulli creaturæ vllò modo debitum. Inter actus quoad substantiam supernaturales ponimus actus gloriosos Beati, scilicèt Intellectus Deum videntis, & voluntatis Deo viso fruētis: Item ponimus actus viatoris operantis ex motiuo supernaturali, tam qui spectant ad Intellectum, quàm qui spectant ad voluntatem, tam qui sunt sicut oportet, quàm qui non sunt sicut oportet.

C

Visio

**V**isio igitur Beatifica ideò formalitèr est supernaturalis quoad substantiam ; quia dependet essentialiter , ac immediatè ab obiecto diuino supernaturali , tanquàm suo specificatiuo , scilicèt à Deo ipso Intellectum creatum obiectiue mouente . Similitèr Amor Beatificus ideò formalitèr est supernaturalis quoad substantiam , quia dependet essentialiter ab obiecto diuino supernaturali , scilicèt à Deo viso voluntatem creatam suo modo mouente . Item actus Fidei diuinæ ideò formalitèr est supernaturalis quoad substantiam , quia dependet essentialiter ab obiecto diuino supernaturali , scilicèt ab excellentià diuini testimonij Intellectum nostrum mediatè mouentis . Deniquè omnes actus reliquarum virtutum supernaturalium ideò formalitèr sunt supernaturales quoad substantiam , quia dependent essentialiter ab obiecto diuino supernaturali , scilicèt ab aliquo motiuo diuino voluntatem nostram cum libertate nostrà mouente , vel ad mouendum concurrente .

## X X V I.

**H**inc patet ly sicut oportet esse quendam modum perfectissimum nostrorum actuum supernaturalium , ad quem requiritur necessar iò habitus infusus supernaturalis quoad substantiam , vel aliquod aliud auxilium Dei habitus vicem supplens , & ratione cuius modi nunquàm possumus esse certi nos gratià , & amicitia Dei actualiter frui . Quid autem sit huiusmodi modus hoc opus , hic labor est . Denominatio actus sicut oportet non potest consistere in eo præcisè , quòd sit supernaturalis , cum possit dari actus in viatore supernaturalis , qui non solum non sit sicut oportet , sed etiam sit peccaminosus : Item non potest consistere in eo quòd procedat ex puro motiuo supernaturali , vel etiam diuino , ita vt neque inadequatè procedat à motiuo naturali : Neque in eo quòd fiat cum auxilio supernaturali habitus infusi : Nec denique in eo quòd sit taliter , vel taliter intensus . Consistit , ergo ly sicut oportet in summà appretiatione motiui diuini , à quo procedit actus , ratione cuius summæ appretiationis dici potest homo dispositus præponere motiuum diuinum cuicunque alteri motiuo contrario , ratione cuius dispositionis dici potest actus habere maximam extensionem virtuaalem .

## X X V I I.

**E**X hætenùs dictis colligi potest totam improportionem , quam habet aliqua potentia cum aliquo obiecto , vel vice versà aliquod obiectum cum aliqua potentia nihil aliud esse , nisi improportionem talis potentia , vel talis obiecti cum tali actu , qui essentialiter dependet à tali potentia , & à tali obiecto . Hæc autem improportio potentia cum obiecto diuidi potest in improportionem etiam per Dei potentiam indispensabilem , & improportionem saltèr per Dei potentiam dispensabilem : Illa est , ratione cuius dicitur communiter aliquod obiectum esse extrà sphæram alicuius potentia , vt est exempli gratià improportio po-

ten-

rentiæ materialis cum obiecto spiritali, & potentiæ visuæ cum obiecto audibili; Dispensabilis verò est illa, ratione cuius dicitur communiter aliquod obiectum esse suprâ spheram alicuius potentiæ, vt est exempli gratiâ improportio potentiæ creatæ cum obiecto increato. Rursùs improportio dispensabilis diuidi potest in improportionem quoad substantiam, & improportionem quoad modum: Quas improportiones suprâ explicauimus.

## DE VISIONE BEATIFICA

### X X V I I I.

**V**isio Intuitiua Dei non solùm est possibilis in Intellectu creato, sed etiam illius possibilitas naturali ratione demonstrari potest à priori. Datur de facto visio intuitiua Dei in Intellectu creato; Veruntamèn illius existentia actualis nullâ ratione conuincenti citrà fidem probari potest. Visio Beatifica non solùm potest naturaliter cognosci quoad illius possibilitatem, sed etiam vt sic cognita potest naturaliter appeti.

### X X I X.

**I**mplicat Deum videri oculis corporeis, & vniuersaliter implicat Deum ab aliquo sensu attingi; Quinimò magis implicat Deum cadere sub sensum, quàm implicet oculum videre, vel audire sonum. Quærenti autem cur Deus non possit attingi ab oculo corporeo non videntur satisfacere illæ responsiones: quia nempe Deus sit extrâ spheram oculi corporei: vel quia non contineatur intrâ obiectum formale illius: Vel quia potentia materialis nullam habeat proportionem cum obiecto spiritali &c. Huiusmodi enim responsiones videntur potius dare synonyma, quàm reddere rationem quæsitæ. Nos quatuor habemus implicantias, quas breuitatis gratiâ hîc omittimus, quasque quærenti dabimus. Si organa naturalia corporis concurrant ad suos actus determinatiuè tantùm implicat dari vnâ aliquam potentiam, quæ sit simul & oculus, & auris: Si autem, organa concurrant ad suos actus efficienter non implicat vnâ, eandemque potentiam esse oculum simul, & aurem.

### X X X.

**N**illus intellectus creatus, vel creabilis potest naturalitèr videre Deum. Item nulli intellectui creato, vel creabili potest esse connaturale lumen gloriæ, etiamsi distinguatur à specie impressa Dei; & vniuersaliùs loquendo nulli creature potest esse connaturalis vllus habitus infusus supernaturalis. Sed etiam si per impossibile posset alicui substantiæ creatæ esse connaturale lumen gloriæ, & consequentèr etiam Visio Beatifica, talis substantia in tali hypothèsi deberet quidè m esse eiusdem ordinis cum Deo, sed non proindè dici posset substantia superna-

pernaturalis; Quamobrem implicat non solum dari, sed etiam concipere substantiantiam supernaturalem creatam.

X X X I.

**Q**uærenti quid tandem sit in Visione Beatifica id, ratione cuius excedit omnem naturam creatam, & creabilem, non videntur satisfacere illæ responsiones, scilicet hoc ideò esse quia contineat in se aliquam perfectionem semper maiorem: Neque quia contineat in se perfectionem supernaturalitatis: Neque quia producat, vel petat produci ab aliquo principio supernaturali, vel supernaturalizzato: Neque quia sit immediata possessio Dei: Neque quia summè participet de naturâ diuinâ: Neque quia summè imitetur operationes diuinas ad intrâ: Nec denique quia tendat in obiectum terminatiuum supernaturale; sed solum hoc ideò est quia procedit ab obiecto motiuo supernaturali, hoc est quia ex vno capite dependet essentialitèr à specie Dei impressâ, & ex alio capite species Dei impressa nulli creaturæ potest esse debita. Cur autem species Dei impressa nulli creaturæ possit esse debita, non alia potest assignari ratio à priori, nisi speciale dominium Dei de illâ.

X X X I I.

**V**isionem Beatificam non esse ipsam speciem expressam essentiæ diuinæ formalitèr representatiuam, sed esse quandam aliam vnionem Dei cum intellectu creato videtur quid imperceptibile. Datur igitur species expressa Dei, quæ est medium per se cognitum, non autem obiectiuè cognitum; non est tamen ab alio intellectu creato naturalitèr intuitiuè cognoscibilis. Visio Beatifica est ex naturâ suâ perpetua.

X X X I I I.

**S**iuè dicatur speciem impressam essentiæ diuinæ virtualitèr representatiuam, distingui realitèr à lumine gloriæ, siuè dicatur esse ipsum lumen gloriæ semper asserimus possibilem esse speciem impressam Dei. Suppositâ postea possibilitate speciei impressæ diuinæ, & non suppositâ illius necessitate volumus illam dari de facto. Imò dicimus non solum illam posse dari, & de facto dari, sed etiam necessariò dari, adeò vt etiam dato, quòd Deus posset suo concursu speciali supplere lumen gloriæ à suâ specie impressâ distinctum; Non potest tamen per vllum concursum extrinsecum supplere suam speciem impressam, quæ debet intrinsecè recipi, & intrinsecè mouere intellectum ad Beatam Dei cognitionem.

X X X I V.

**L**umen gloriæ non habet eleuare intellectum creatum in genere causæ materialis, vel in genere subiecti in ordine ad recipiendum Visionem Beatificam, neque tribuendo illi capacitatem intrinsecam recipiendi visionem, neque concurren-

currendo cum illo inadæquatè ad recipiendam visionem, neque disponendo physicè intellectum ad hoc vt visionem recipere valeat, nec deniquè disponendo illum moralitèr ex ordinatione diuinâ.

X X X V.

**S**iuè lumen gloriæ distinguatur à specie impressâ diuinâ, siuè non, nolumus vnquam illud esse totam rationem agendi in ordine ad Visionem Beatificam; Siquidem magis concurrat intellectus creatus ad suam visionem per suam virtutem propriam quamuis simpliciter eleuatam, quàm concurrat ipsum lumen gloriæ eleuans.

X X X V I.

**H**inc inæqualitatem Visionis Beatificæ non tantùm ab inæqualitate luminis eleuantis, quàm ab inæqualitate perfectionis naturalis ipsius intellectus eleuati desumendam esse asserimus; Imò si dicatur lumen gloriæ distingui à specie Dei impressâ non apparet cur dari non possit aliquis intellectus ita perfectus, vt simpliciter non indigeat illo lumine gloriæ, quo indiget intellectus noster ad videndum clarè Deum, quamuis indigerat semper specie Dei impressâ.



D

DE

# DE SCIENTIA DEI

I.

**D**EVS habet perfectissimam Scientiam, vt pote naturæ cognoscitiuæ, quæ ex eius immaterialitate efficaciter colligitur, tam si sumatur pro eleuatione à potentialitate, eiusque carentia, quàm pro abstractione à materia physica, & à quantitate. Non datur tamen in Deo, nec concipi potest cum fundamento intrinseco ex parte obiecti intellectus per modum actus primi, & veræ potentiz respectu intellectiōnis. Datur quidem in Deo species impressa & intellegibilis, non solum in ordine ad intelligendas creaturas, sed etiam in ordine ad cognitionem sui ipsius.

I I.

**O** biectum diuinæ Scientiæ est Deus ipse cum suis omnibus perfectionibus tam relatiuis, quàm absolutis, quod comprehendit. Deus cognoscit alia à se nempe creaturas cognitione proxima, & distincta, hoc est secundum proprias differentias, non solum specificas, sed etiam indiuiduales; quin etiam omnes negationes, & priuationes, entia rationis, & impossibilia; nec non mala tam culpæ, quàm pœnæ. In Deo dantur ideæ creaturarum, quæ non consistunt in aliqua ratione creata existente extra Deū, immò nec in creaturis ipsis præcognitis à Deo, nec in cognitione diuina formaliter, sed in essentia diuina, quatenus participabili, & imitabili à creaturis. Realiter in Deo est vna tantum idea, virtualiter plures omnium creaturarum etiam in indiuiduo, non tamen negationum, aut non entium, immò neque culpæ.

I I I.

**A** nte existentiam creaturarum non datur nisi possibilitas extrinseca earum, nempe omnipotentia Dei, eiusque essentia infinite participabilis, quæ est prima radix omnis entis creati. Impossibile, aut eius possibilitas non negatur à parte rei per veram, & propriam negationem, sed tollitur formaliter per omnipotentiam Dei, quæ proinde est prima ratio tam veræ possibilitatis, quàm impossibilitatis. Deus nullam dicit relationem, vel connexionem cum creaturis possibilibus, aut cum earum possibilitate; si tamen implicarent creaturæ possibilis, etiam ipse implicaret. Has creaturas posibles in sua essentia videt, non in se ipsis. Futura libera Deus non cognoscit in suis causis liberis creatis, nec in decreto generali, nec ex vi decreti prædeterminantis, seū executiui, & efficaci, seū prædefinitiui, sed in se ipsis. Creaturæ non sunt præsentis diuinæ æternitati, antequam existant in propria duratione. Futura vt existentia in sua duratione, ita sunt præsentia æternitati, vt respectu illius intrinsecè spectatæ nullo modo sint futura.

Scientia

## I V.

**S**cientia visionis non est causa rerum, quarum est scientia; sed scientia simplicis intelligentiæ; nam scientia visionis, si esset rerum causa præsertim proxima, & immediata non posset congruenter saluari libertas. Non differt scientia visionis à scientia simplicis intelligentiæ ex parte obiecti, quasi scientia visionis attingat aliquod obiectum, vel formalitatem obiectiuam, quam illa non attingat, sed quoad diuersam tendentiam, & diuersum modum cognoscendi idem obiectum. Scientia Dei est æterna, & non solum in ordine ad obiectum primum, & creaturas possibles, sed etiam in ordine ad obiecta contingencia est rigorosè inuariabilis, & immutabilis; Minùs tamen propriè dici potest esse inuariabilis, quia loquendo de scientia visionis in ordine ad potentiam remotam, posset Deus plura, vel pauciora scire, quàm sciat.

## V.

**I**n nullo signo Deus cognoscit suos actus, vt absolutè futuros, cognoscit tamen certissimè futura libera conditionata, & quæ nunquam transeunt in futura absoluta, & quæ transeunt, vnde omnia futura libera absoluta, & cognoscuntur à Deo vt futura absoluta, & cognoscuntur vt futura conditionata, adeò vt prius ratione Deus cognoscat aliquod sub conditione futurum, quàm illud cognoscat absolutè futurum.

## V I.

**A**ctus suos liberos sub conditione futuros, vel non futuros Deus cognoscit, non tamen futura conditionata sub conditionibus impossibilibus, vel disparatis, nisi sint connexa ex promissione, vel decreto suo. Futura libera conditionata Deus non videt in suo decreto prædeterminante, sed ante quodcunque suum decretum, propter veritatem, quam habent in se ipsis, & scientia, quæ media nuncupatur.

DE



# DE TRINITATE

I.

**I**N Deo concedenda est vera, & realis Processio vnius Personæ ab alia per modum, non quidem causæ, & effectus, sed Principij; & Principiati. Duæ autem sunt Processiones actiuæ: Vna, qua producitur Verbum, quæ est à solo Patre; Altera, qua producitur Spiritus Sanctus, quæ est à Patre, & Filio. Duæ pariter sunt Processiones passiuæ. Vna per quam Filius est à Patre; Altera per quam Spiritus Sanctus est ab vtraque. Istæ Processiones si adæquatè sumantur, prout dicuntur rationem viæ, ac originis tam actiuæ, quàm passiuæ non sunt plures duabus.

I I.

**P**rocessiones diuinæ sunt immediatè per intellectum, & voluntatem, à natura verò mediatè; in intellectu enim diuino datur vnicus actus intelligendi communis, & essentialis, sicut & in voluntate diuina vnicus actus communis, & essentialis, ex quibus immediatè sunt Processiones, ideò principium quo Profectionis Verbi est sola intellectio, nullo modo Paternitas, & ita volitio respectu Spiritus Sancti. Profectiones passiuæ realiter, & specificè distinguuntur tum inter se, tum ab actiuis; hæ sunt à personis producentibus, illæ in productis; nec aliud sunt, quàm relationes, per quas Diuinæ Personæ opponuntur.

I I I.

**P**rocessio Verbi non ideò est generatio, quia sit communicatiua fecunditatis; nec quia habeat rationem imaginis; nec quia, cum sit per intellectum est assimilatiua termini principio, sed quia cum sola procedat per intellectionem, in qua formaliter consistit natura diuina, iam illa sola ex vi suæ Profectionis formaliter, seu ex primaria intentione accipit naturam. Relationes diuinæ personales, quæ sunt quatuor, etiam secundum esse ad sunt reales. Distinguuntur ante opus intellectus inter se realiter; ab Essentia tamen sola ratione ratiocinata; Vnde à fortiori attributa Dei distinguuntur tantum virtualiter extrinsecè; Excepta volitione, ab intellectione, & actu libero à necessario, quæ distinguuntur virtualiter intrinsecè.

I V.

**D**iuinæ relationes etiam prout ab essentia distinguuntur dicuntur perfectionem infinitam, & triplicem. Licet de conceptu quidditatiuo Personæ diuinæ in concreto sumptæ sit, tum essentia, tum relatio. De conceptu tamen quidditatiuo essentiæ non sunt relationes; Nec de conceptu quidditatiuo relationum est essentia. Spiratio actiua, quæ à passiuæ realiter, à Paternitate autem, & filiatione non realiter, sed virtualiter intrinsecè distinguitur.

In

## V.

**I**N Deo est verè, ac propriè ratio personæ ; quæ in vna essentia est triplex , & realiter distincta : Possumus tamen cum aliqua restrictione , & limitatione , licet abusiua tres essentias , naturas , ac substantias , dicere ; sicuti non est solum in Deo vna existentia absoluta , sed triplex , & hæc personalis . Subsistentia communis absoluta non datur in Deo , nec sola , nec simul cum tribus relatiuis , at solum tres dantur subsistentiæ relatiuæ .

## V I.

**D**iuinæ Personæ ex essentia , & proprietatibus relatiuis constituuntur constitutione solum virtuali , & si realiter inter se distinguantur per easdem quidem , vt relatiuas formaliter , si spectetur fundamentum intrinsecum ; per easdem verò , vt formæ quædam subsistentes à nobis concipiuntur , si spectetur fundamentum extrinsecum à creaturis desumptum . In Diuinis Personis sunt notiones , & quinque tantum . Verbum in Deo est nomen Personale filij , & nomen imaginis , quæ propriè est in Deo , proprium est Filij .

## V I I.

**V**erbum per se procedit ex cognitione omnium , quæ Pater cognoscit , videlicet Essentiæ , Attributorum , trium Diuinarum Personarum , Creaturarum possibilium , & existentium , Spiritus Sanctus non solum à Patre , sed etiam à Filio procedit , & si ab hoc non procederet , neuter illorum esset idem numero , qui modo est , nec alter ab altero realiter distingueretur .



E

D E

# DE INCARNATIONE

## I.

**I**NCARNATIONIS opus fuit medium conuenientissimum ad reparandum humanum genus post lapsum Adæ per satisfactionem æqualem. Conuenientius fuit, ut fieret eo tempore, quo factum est, quàm ante peccatum Adæ, vel illicò post peccatum, vel in fine Mundi. Quia Deus à summa sua perfectione, seu propensione in bonum, physicè non necessitatur ad volendum ex bonis creabilibus, quæ meliora sunt, atque ad eò equè perfectè, ac laudabiliter operatur, siuè velit & operetur quod est melius, siuè non; & in operibus ad extra nec necessitatur moraliter ad optimum, ideò in opere Incarnationis, non solùm physicè, sed etiam moraliter fuit liber ad illud faciendum, vel non faciendum; Quia ipsum opus Incarnationis non fuit in se simpliciter, & absolutè necessarium, nec ex suppositione Mundi de facto conditi, nec supposito lapsu præuiso humani generis, nec ex suppositione, quod Deus humanum genus à peccato liberare voluerit etiam per satisfactionem æqualem; Fuit tamen ex suppositione diuinæ voluntatis efficaciter volentis satisfactionem æqualem secundùm quid necessarium.

## I I.

**C**hristus de facto non fuit absolutè volitus, nisi post peccatum Adæ absolutè præuisum, seu in remedium nostræ salutis; ideò ex vi præsentis decreti Adamo non peccante nullo modo venturus fuisset; fuit tamen volitus in remedium omnium peccatorum, principaliter quidem originalis; minùs principaliter actualium, mortalium, & venialium. Ante decretum Incarnationis in remedium contra originale absolutè præuisum non fuere præuisa ut absolutè, & determinatè futura peccata actualia posteritatis Adæ, atque ad eò Adamo non peccante non venturus fuisset Christus contra actualia posteritatis.

## I I I.

**I**ncarnatio Verbi verè non fuit ex meritis humanitatis Christi, vel tempore, vel natura prioribus, nec dependere potuit à meritis humanitatis, Vnionem hypostaticam antecedentibus, sed subsequentibus; Ideò Patres antiqui nec meriti sunt, nec mereri potuerunt simpliciter de condigno, nec de congruo Incarnationem; quamuis absolutè non repugnet meritum congruum hominis iusti simpliciter respectu Incarnationis. Mereri tamen potuerunt, imò de facto meriti sunt aliquas Incarnationis circumstantias.

Beata

## I V.

**B**eata Virgō non sibi de condigno meruit Maternitatem Dei, sed tantūm de congruo. Christus tamen toto eo tempore, ex quo in Horto Gethsemani passionem, & mortem sibi à Patre iniunctam acceptavit, vsque ad eius consummationem miraculosè conseruatus fuit independentè à Virgine eius Matre, atque adeò tunc temporis antiquis Patribus, ac Beatæ Virgini meritis est gratiam, dependenter à qua, & illi meruerunt esse eius progenitores, & illa Mater.

## V.

**H**umanitas Christi non existit existentia diuini Verbi, non fuit producta formaliter per Incarnationem, sed per actionem distinctam natura priorē actione vnitiua, in qua formaliter Incarnatio consistit. Per hanc nec diuina natura in humanam, nec humana in diuinam fuerunt conuersæ; nec facta fuit tertia natura per admixtionem earundem, nec istæ vnitæ fuerunt per modum partium essentialium, nec integralium, vnā naturam compositam constituentium; sed vnio Verbi cum humanitate Christi facta fuit in Persona, atque adeò Christus est vnā tantum Persona, & non plures; eius tamen Persona simpliciter, & absolute composita dici potest.

## V I.

**V**nio hypostatica ab extremis Christum componentibus distincta est, & ab actione, quam formaliter importat Incarnatio de nouo producta; Hæc vnio, nec est qualitas, nec relatio prædicamentalis, nec influxus actiuus Verbi in humanitatem, sed modus substantialis inexistentiæ essentialiter affixus humanitati tanquā subiecto, & Verbo diuino tanquā termino, ac proindè importat essentialiter respectum transcendentalem ad extrema vnita, quæ etiam mutuo eadem vnione se respiciunt; Hæc vnio non tantūm substantialis, essentialis, naturalis, & omnium vnionum maxima est, sed in ratione doni cæteris donis supernaturalibus præstantior, relatiuè ad Christum connaturalissima, & in se absolute, & entitatiuè supernaturalis. Hæc vnio dici potest terminus formalis ad quem Incarnationis sumptæ, vt actio formaliter est.

## V I I.

**D**ependentia, qua humanitas Christi à Verbi subsistentia quoad effectum positiuè subsistendi non distinguitur ab Vnione hypostatica, qua eidem Verbo vnitur; In ordine ad suum primarium esse à Verbi subsistentia non est propriè à priori; sed potius à posteriori, nec in sola Vnione hypostatica reponitur, sed aliquid aliud importat, quod tamen non est modus superadditus.

Verbum

**V**erbum diuinum, & natura humana in Christo non vnitur duplici vnione partiali, sed vnica, cuius subiectum adæquatum est sola humanitas, quæ essentialiter est composita ex anima rationali, & vero corpore, non cęlesti sed terrestri, ex purissimo Mariæ Virginis Sanguine compacto; & ipsa Vnio hipostatica immediatè vnitur Verbo, & vnioni substantiali, qua formaliter componuntur corpus, & Anima rationalis in humanitate Christi.

## I X.

**C**hristi corpus verum Sanguinem habuit, quem immediatè Verbum diuinum assumpsit, neque effusum vlla corruptio infecit. Nec assumpta fuit aliqua pars Sanguinis tantum, sed totus prorsus ille, qui vi caloris naturalis ab epate producebatur, & in triduo Mortis Verbo diuino vnitus remansit. Sanguis ille si quis est, qui spinis, terræ, flagris, sudario, clavis, & Cruci adhæsit non est hipostaticè Verbo diuino vnitus, quin in Resurrectione nec fuit reunitus Corpori eius glorioso totus, quem toto tempore suæ vitæ mortalis successiuè habuit, nec plus quam simul aliquando habuerit.

## X.

**S**ubsistentiæ munus præcipuum est terminare Naturam completam, vt per se, seù in se sola existat, & non in alio. Congruentissimum fuit, vt Verbum, præ alijs personis diuinis naturam humanam assumeret, quam non terminat per aliquod absolutum, sed per propriam subsistentiam relatiuam, non tamen assumpsit Hominem.

## X I.

**C**hristus vt homo per gratiam habitualement non fuit substantialiter Sanctus, neque gratia habituali indiguit, vt de condigno mereretur; Nec Vnio hipostatica est id quod humanitatem formalitè sanctificat, sed id quo substantialis Dei Sanctitas communicatur, quæ formaliter consistit in personalitate Verbi prout virtualiter à Natura diuina distincta. Non sanctificatur tamen infinite simpliciter, ita vt diuinitati coniuncta tantum sit à Deo amabilis, quantum Verbum, ac ipse Deus.

## X I I.

**G**ratia habitualis in Christo fuit vt prima Regula, & mensura gloriæ & actuum supernaturalium, qui erant humanitati eius debiti ratione Sanctitatis substantialis. Hæc quoad entitatem fuit eiusdem rationis cum gratia puri hominis iusti, atque ad eò simpliciter finita ingenere entis, vndè licet de lege ordinaria augeri non potuerit, potuit tamen augeri de potentia absoluta. Fuit tamen

tamen plenitudo illius statui Christi conueniens, & in instanti suæ conceptionis habita, cui correspondit plenitudo Charitatis, & quoad habitum, & quoad actus: Non fuit tamen in Christo, nec quoad habitum, nec quoad actus theologica Fides.

## X I I I.

**I**n instanti Conceptionis Christus etiam habuit virtutes infusas in suo genere. Inquisitas, tam dona Spiritus Sancti, quam gratias gratis datas, nullam verò gratiam excitantem. Christus vt homo præfulsit dignitate Capitis visibilis in Ecclesia ratione Sanctitatis substantialis, qua eius humanitas dignificabatur: Idem fuit Sacerdos, & Rex, & nostrum principalis mediator. Humanitas Christi intellectu humano non caruit, nec de facto formaliter intellexit per intellectionem increatam, nec per eam intelligere potuit, sed habuit cognitionem creatam.

## X I V.

**A**n te passionem, vt homo habuit scientiam beatam, hancque in primo instanti suæ Cónceptionis; non quidem comprehensiuam, neque infinite intensam, sed quoad intensiorem, ac indiuidualem perfectionem plenitudini gratiæ conuenienti commensuratam. Per illam cognouit in actu omnia positia, quæ cognoscit Deus Scientia Visionis, non tamen omnia, quæ cognoscuntur scientia simplicis intelligentiæ; præter hanc habuit scientiam per se infusam, à beata distinctam, & ordinis naturalis, qua perfectissimè cognouit omnia obiecta eiusdem ordinis humana cognitione cognoscibilia; non tamen quoad habitum, proprijs actibus comparatum, sed per accidens infusum.

## X V.

**D**vplex fuit in Christo voluntas, sicut & Natura; diuina scilicet, & humana, hæcque non solum per modum principij, sed per modum actus volendi. Inter illas nulla fuit contrarietas. Potentia proximè expedita ad peccandum, nec de facto in Christi humanitate fuit, nec esse potuit; Inculpabiliter poterat non mori, quatenus in libera eius potestate fuit petere à Deo, non quidem sub indifferentia tantum, vt de facto petijt; sed cum absoluta determinatione non moriendi in Cruce, vt à præcepto dispensaretur.

## X V I.

**N**on potuit purus homo condignè Deo satisfacere pro peccato mortali proprio nec alieno, sed tantum pro peccato veniali; purus tamen homo iustus, ita vt fauore Dei superaddito non indigeat, regularitèr tamen non aboletur absque Dei indulgentia.

F

Ope-

**O**pera Christi satisfactoria sufficientem valorem, & condignitatem habuerunt ad satisfaciendum Deo pro quolibet peccato, imò fuere valoris simpliciter infiniti, ita vt Christus ex propria, & intrinseca eorum dignitate pro nostris peccatis superabundanter satisfecerit, nihilominus, quantum est ex modo solutionis, satisfactio talis non fuit, vt gratuita Dei satisfactione non indiguerit.

**M**eruit propriè Christus in actu Conceptionis, & deinceps vsque ad finem vitæ actibus virtutum, & præsertim actu dilectionis; non tamen sibi meruit Beatitudinem essentialem, gratiam habitualement, aut habitus supernaturales, sed gloriam sui corporis, & nominis exaltationem. Meruit quidè nobis quidquid à Deo accipimus in ordine ad finem supernaturalem.



*Disputabuntur publicè in Aula Collegij Clementini PP. Congregat. Somaſcha  
à D. Hieronymo Rauaſcherio Flisco Patritio Hiſp. eiufdem Collegij Conuiſſore.*